DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DELIRIO TREMENTE,
VEL
DELIRIO EBRIOSORUM
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

D. DUNCANI M'FARLAN, SS. T. P.

ACADEMIÆ GLASGUENSIS PRÆFECTI;

NECNON AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES MILLS PROBYN,

Anglus,

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM LONDINENSIS SOCIUS,
ET LUNATICI ASYLI GLASGUENSIS PRÆFECTUS,
RESIDENS CHIRURGUS, ET PHARMACOPŒUS.

Die XVI Augusti horâ locoque solitis.

GLASGUÆ:
EXCUDEBANT ANDREAS ET JOANNES M. DUNCAN,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1825.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DELIRIO TREMENTE,

VEL

DELIRIO EBRIOSORUM.

Cerebri generisque nervosi affectio, Delirium Tremens appellata, morbus est, non de actione inflammatoriâ, sed potius de aliquo cerebri statu peculiari, magnâ obscuritate jam involuto, pendens, quo de statu nihil nisi ab ejus effectibus reverâ novimus. Per longum tempus Medici hunc morbum cum Phrenitide, vel cerebri membranarum inflammatione, ex quorundam eorum symptomatum haud parvâ similitudine commiscere, et ita in errorem fatalem incidere, soliti erant. In Phrenitide enim, quæ ex inflammatione membranaceâ, indicium solitum habente, (velut in omnibus aliis corporis superficiebus membranaceis,) ad vitæ privationem se rapide et late extendendi, constat; Medici præcipua fiducia,

unde ægro salutem sperat, est, ut sanguinem largè, et repetitis vicibus, et ex orificio amplo, ad inflammationis activæ progressum impediendum, mittat. Sed hoc in morbo, tales sanguinis missiones maxime periculosas esse, et in plurimis exemplis vitam extinxisse credo. Delirio Tremente diu et plerumque Phrenitide per errorem putato, idcirco de hac affectione, quam explicaturus sum, etiam inter eos, qui symptomata distinguentia et curationem bene intelligunt, multum confusionis nominum adhuc existere quoque arbitror. Commune et vulgare nomen cerebri febris, per magnam Britanniæ partem etiam a Medicis ad Phrenitidem exprimendam adhibetur, et ab aliis ad Delirium Tremens præcipuè in Angliæ parte septentrionali applicatur. Hoc autem manifestè ineptum est. Appellatio cerebri febris, uni ac alteri æquè accommodata, vel potius inhabilis est. Nihil amplius enim de cerebri *febre*, quàm de pedis *febre* novimus; et appellationem posteriorem ad Podagram aut Rheumatismum pedem afficientem, quàm priorem ad cerebri affectiones jam dictas

applicare, tam idoneum esset. Appellationi vulgari tamen non tantùm me oppono, vocabula enim, quibus homines generatim morbi notionem communicent, esse debent: sed infortunium est, quod ad duos diversos morbos, curationem tam valde diversam postulantes, applicatur. Medicis, igitur, talem laxam et minime definitam appellationem, ad plus quàm unum gravem morbum exprimendum applicantibus me oppono. Eos igitur de hac re maxime solicitos esse debere, modestè existimo, ut de falsis notionibus perpetuis efficiendis caveant, quæ in descriptione unius vel alterius morbi orientes, confundant, et sic in magnos errores in medicinâ exercendâ ducant. Quum una appellatio duos morbos penitus distinctos exprimens, ut in præsenti exemplo, in usum serpserit, satius esset, si Medici, quod ad utrosque pertinet, penitus derelinquant, sorti inter populum generatim deserentes, applicationem corrigentes, et aliam in ejus locum supponentes. Sic quod ad Phrenitidem attinet, proprio nomine cerebri inflammatione appella. Quod ad Delirium Tremens aliquod nomen vulgare, quo cogni-

tum sit, origini æquè ac symptomatibus ascribendum, ab ipsius morbi descriptione aptè ducatur.

His rebus prædictis, prius quàm morbum illustrare ausim, quod sine dubio multi jam præsentiunt, nomen Delirium Tremens a Doctore Sutton in volumine tractatuum magni pretii de hoc aliisque rebus, anno 1813, ut puto, in lucem edito, primum datum esse, in medium afferre mihi concessum sit. Vocabulum Tremens a solito prominente symptomate manuum et nonnunquam totius corporis plus minusve, sed sæpe insigniter affectorum, per morbi cursum, derivatur. Hunc autem vocis delectum minimè felicem mihi videri confiteor. In linguâ accuratâ Delirium esse Tremens rectè dici non potest. Si Delirium cum Tremoribus nominaretur, multo melius esset; sed id non satis exprimit. Forsitan nomen Delirium Ebriosorum à multis melius applicatum putetur; et ad hoc nomen eligendum me propensum confiteor, nisi consensus vulgaris apud Medicos huic morbo appellationem Delirium Tremens affixisse videatur.

Delirium Tremens igitur, vel Delirium Ebriosorum est mentis aberrationis species, quæ originem immodico usui vel abusui spirituum ardentium, vini, aut meraciorum cerevisiarum debet. Ab idiopathicâ insaniâ, ut mox ostendere conabor, distinguendum est, quamvis sine dubio nonnunquam in eodem homine commistum, et in alterum morbum degenerare reperitur. Causas prædisponentes omnes quæ vires aut salutem generalem effringunt, ut multum anxietatis animi, corporis nisum nimium, et tempestatis vicibus expositum, jejunium longum, magnum sanguinis dispendium, et aliquid magnam systematis debilitatem inducens, agnoscit. Sed causa excitans fere cônstans est, usus immoderatus liquorum meraciorum consuetus, et perpetuo servatus. Plus quàm unum exemplum offendi, ubi pars causæ excitantis Venus immodica esse videbatur; sed in his ægris ebrietatis consuetudo continua diu confirmata erat. Duo vel tria exempla memorata a celeberrimo Doctore Armstrong, quæ a plumbi in corpus impulsu orta sunt, et malæ consuetudinis opium copiâ magnâ

capiendi nimis subitâ derelictione, mihi quoque perhibentur. Sed hæ exceptiones causæ communis excitantis Delirii Trementis raræ sunt, et sine dubio in omni fere exemplo assuetæ commessationes cum ebrietate huic morbo originem dant. Sub morbi accessum æger ex immodicâ stimulatione valde exhaustus et enervatus fit. Homines ebrietati assuefacti ad hunc statum quodammodo appropinquant. Diei prioris ebrietati et nimiæ stimulationi, exinanitio, debilitas nervosa, animique depressio, linguâ vulgari *Blue Devils* dicta, succedunt: et donec ebriosus stimulum assuetum, nempe, haustum mane sumpserit, manus tremunt, alicui negotio minime aptus, et nihil agendi capax est. Et sic, hoc stimulo subitò et penitus subtracto, vel multo minore quam solet ab homine sumpto, cerebri generisque nervosi conditio tam depravata fit, ut Delirii Trementis impetu perfecto terminet.

Symptomata, quæ, et de hujus morbi accessu et consummatione, in sententiâ formandâ nos ducant, tam multa sunt, ut eam sententiam satis

manifestam reddant. In principio, vel haud multo ante, totum corpus irritabilitas generalis pervadit; æger ne quidem muscam se tangere tolerare potest. Dissimilis indoli solitæ, morosus, captiosus, acuto sensu prædıtus, et ad iram facile incitatus est. Aliquando nugis in furorem instigatus, liberos abigit, aut verberat, fortasse uxorem et servos ex ædibus exturbat, eodem tempore præter solitum temere et sæpe jurat. His iracundiæ impetibus mutationes benevolæ succedunt, in quibus pro tempore factorum ægrum pudere videtur, donec iræ causa nova et æquè ridicula ad aliquam recentem et similem stultitiam excitet. Proximum symptoma notandum est, per noctem vigilantiæ et inquietudinis status. Æger dormiendi impotens in lecto se circumvolvit; e lecto forsitan surgit, et in cubiculo ambulat, tunc ad lectum redit, sed non ad dormiendum, et indies magis irritabilis, et morosus, et ad vexandum pronus quàm pridie surgit. Hoc tempore aliqua morum mutatio insolita accidit, aliquid factorum peculiarium adhibetur. Exempli gratiâ, pro

aperto, liberali, et sine suspicione, etiam necessariorum amicorumque valde suspiciosus evadit. Amicos ad eum perdendum consilia cepisse, aut socium in negotiis eum fraudasse, aut de rebus propriis fraudare conatum esse, animo fingit; et se esse ejectum aut mendicum timet. Homines sub lectum, in cubiculo, aut pone aulæa celatos esse, qui eum trucidare volunt, etiam credit. Uxorem infidam factam esse, et consilia et felicitatem perdi, existimat. Ad hoc dè aliquo ficto negotio sæpe, fere perpetuò festinat. Raptim interceptus ad iram est propensus. Res de quibus delirat, per diem multum variant, animo strenuissimè occupato, et in vultum impressiones suspicionis, anxietatis, aut metûs vexantis, animi impressionibus congruentes vicissim creante. Reverâ magna et animi et corporis activitas est. Æger suas vel aliorum res diligenter administrat: aliquando in res hominum promovendo occupatus, agros ad voluptatem disponendo, aut aliquam amicam rationem provehendo, totius generis humani conditionem meliorem reddendi: scelera subruendo, monitiones de aliquo pavo-

rem injiciente iis eventuro dando, &c. &c. Nonnunquam multum sibi loquitur, et magnâ cum astutiâ, et aliquid deprehendendi cupidus, aliorum eloquio auscultatur. Interrogatus, uni vel alteri quæstioni distinctè respondere potest, sed aliquo multas, alias post alias, percontare, aut cum illo colloqui conato, tunc valde confusus et non cohærens evadit. Deinde plerumque est manuum tremor, et aliquando totius corporis rigoris species, sed insigniter videndus in manibus ægri eas porrigere, et aliquid captare conantis, ut ad os portet. Hoc constans et concomitans symptoma plerumque est, sed aliquando omnino deest, ob quod nomen Tremens, ab symptomatibus ductum, huic morbo applicatum fallax est, et medicinam facientem in diagnosi probabiliter decipiat, qui sine usu in hoc morbo fortasse, sic tali symptomati præsenti ad ejus veram naturam confirmandam confideret. Et hoc aliam causam vulgari nomini Tremens opponendi præter eas jam memoratas format. Linguæ tremor aliquando obvenit, sed lingua ipsa fere semper humida, subalbida, et levi crustâ ob-

ducta est. Cutis humida et viscosa est, præsertim cum æger se multum moveat: sed hoc symptoma in prioribus morbi stadiis non semper adest. Porro facies pallidissima observatur, et vultûs expressio nunc ut morbus progreditur, ferocior, acutior, et sæpius varia secundum animi affectionem aut impressionem regentem evadit: et mutationes valde insignes et inconstantes, magnam animi incitationem designantes, quàm maximè improviso subit. Simul cum his symptomatibus, pulsuum status est curiosus et insignis, et magno delirio, quod nunc adest, non obstante, est mollis et facile comprimitur, et nihil vibrationis habet, nisi fortasse ubi æger habitûs robusti et sanguinei post fortuitam compotationem nimiam morbo repente tentatus est, et tum quidem in talibus pulsus aliquantum resistunt. Ut symptomata ulteriùs procedunt, vigilantia jam memorata summa fit; ita ut æger primo paululo quietis fruens, tandem nihilo potitur. Postremo, hoc tempore post nisus violentos et continuos, aut ex aliquâ causâ subitò debilitante, ut sanguinis dispendio, Diarrhœâ, aut

longo jejunio, in convulsiones conjici est valde pronus. Has convulsiones tamen, in hoc quàm in fere omni alio morbo, cum idonea cura et attentio ægro adhibentur, multo minus periculosas esse, ex usu cognoscere, magno est solatio. Æger his sæpissime tentatur, postquam ullâ maximâ animi motione, aut nisu corporeo præter solitum excitatus est; nimiæ incitationi simili gradu exinanitionis et collapsûs succedente, quem convulsiones sequuntur, in quibus multi ægri Macedoni Alexandro similes, sub curationem inconsideratam animam efflârunt.

Post mortem eorum corporum investigationes, qui sub morbo mortui sunt, dolendum est, ut in aliis animi morbis, paululum disciplinæ adhuc præbuerunt. Piæ Matris venæ multum oneratæ sunt repertæ, et quædam seri effusio inter Piam Matrem et Tunicam Arachnoideam sæpe observetur. Sed reverâ hæ species symptomata nullo modo explicant. Seri effusio sub omni cerebri statu tam sæpe occurrit, et absens æquè ac præsens reperitur, cum variis symptomatibus, quæ per

vitam hujus organi statui morbido attributa sunt, ita ut nihil certi de delirii trementis symptomatibus inde derivari possit. Congestio venosa quoque, ut vereor, nihilo clariùs quàm species jam dictæ, morbi naturam explicat. Quantum discere potui, corporum sectio nihil de re quidem probavit. De quacunque re morbus pendeat, vasorum systemate solummodo, vel arteriarum vel venarum nequaquam explicari aut ejus rationem reddi posse, verisimile est. Delirium tremens quo tempore totum systema aliquâ immodicâ stimulorum applicatione nimis exhaustum, et æger plurimum relaxatus et mobilis est: pulsu plus quàm centum rariùs pulsante, ut morbus procedit, nisi animi affectione, vel magno nisu corporeo præter solitum incitetur.

De hujus morbi Pathologiâ igitur, paululum dici solùm posse, profectò doleo. De aliquâ cerebri generisque nervosi conditione, cujus certa aut etiam probabilis natura in præsenti scientiæ medicæ statu tantum nobis latet, pendēre videtur. Vocabula irritatio generalis, de-

pravatio, aut constitutionis perturbatio, &c. in opinionibus de hujus affectionis naturâ exprimendis satis consentanea sint, sed legitimè, si iis utendum sit, ut vocabulis prorsus abstractis, quæ ad nullam definitam consequentiam ducant, et quæ in Pathologiâ tam densis tenebris coopertos nos relinquere debent, ut nihil restet, nisi ignorantiæ amplitudinem candidè confiteamur.

Sed proxima res investiganda, ut spero, multo majorem certitudinem et satisfactionem nobis præbebit.

De delirii trementis diagnosi, post symptomata memorata rectè quæritur, quomodo hic morbus ab insaniâ dignoscatur? Profectò, quod ad animum attinet, nulla est differentia: nam deliratio disjuncta, illusiones summæ, et tota mentis aberratio utrisque adsunt. Physico autem sensu inter hos differentia definita intercedit. Delirii trementis symptomatum conjunctio peculiaris ab insaniâ, et Phrenitide, vel cerebri inflammatione distinguet. Quæratur etiam, quomodo maniam

a cerebri inflammatione dignoscamus? Cui promptè responsum sit, febre absente in maniâ sed semper præsente in Phrenitide. Si hoc solo nitatur, inter eos morbos distinguendo animus nonnunquam hæreat, et aliud signum peculiare quærat. Multum tamen a vultu ductum sit. In lunatici Asyli porticus varias perambulando, differentiam bene definitam in vultu insani, a vultu hominis phrenitide laborantis citò observabimus. In insano, suspicionis aspectu peculiari, vafro, et obliquo percutimur; in phrenitide, splendens ruberque oculus curiosam admixtionem super vultum, confusam expositionem opacitatis intellectûs, et externi splendoris et vivacitatis, quæ distinguendi sensum validum in nobis semel creabit.

Delirium tremens a phrenitide distinguere difficilius erit: rebus sequentibus tamen diligenter attendendo satis accurata diagnosis formetur. Delirium tremens post nimiam potationem, et per lapsum ex nimiâ excitatione plerumque supervenit. Phrenitis è contrario aliis causis ut

plurimum est referenda. In priori morbo æger primò irritabilis et morosus, vel tumultuatur, et valde occupatus est: sed in posteriore ab initio de augente, et sæpe violento capitis dolore, et magno languore et lassitudine queritur. In delirio tremente cornea vitrea apparet, et aspectus ferus et activus; sed in phrenitide quamvis vitrea quoque apparet, tamen est inertiæ et splendoris conjunctorum aspectus jam memoratus, conjunctio quidem ita insignis, ut nemo semel videat, quin eo percutiatur. In delirio tremente tunica conjunctiva candescit, vel leviter sanguine interstinguitur, oculi pupilla plus minusve dilatatur, ubi opium non adhibitum sit. In phrenitide tunica conjunctiva sanguine multo magis interstinguitur, et oculorum pupillæ primo stadio contrahuntur, et in secundo præter naturam tantùm dilatantur. Superior palpebra quoque inferior solito pendet, majorem partem globi oculi operiens, in phrenitide quàm salute, quod in delirio tremente certò non obvenit. In morbo priore sunt mentis illusiones ab initio: æger aliquem in proximo cubiculo occultum ad eum

trucidandum expectare credit: in pecuniâ enumerandâ, aliquo negotio gravi componendo, vel pediculis lecto expellendis perpetuo occupatur: sed in phrenitide hæ mentis illusiones ab initio raro occurrunt, sed secundo, tertio, aut quarto die postquàm febris concomitans apparuit. In delirio tremente æger ab uno ad alium locum movere assiduè cupit: nunquam in uno loco quietus, sed domum vel cubiculum perpetuò circumcursat: dum in phrenitide æger ut plurimum in dorso jacet, et minimum virium habens vix movet, nisi per ferox delirium, et movere atque e lecto surgere conatus, ut ebrius titubat. In delirio tremente, et animi et corporis activitas assidua existit: sed in phrenitide animus multo minus activus etiam quum delirium obvenerit; et timoribus et periculis, consiliis, divitiis, affectionibus, et negotiis, multo minùs occupatus. In phrenitide facies rubicundior quam solet: in delirio tremente, multo pallidior solito est. In phrenitide lingua majore crustâ obducta, et arida; sed in delirio tremente penitus humida et minore crustâ obducta est. In morbo posteriore

appetitus quoque plerumque minuitur, et nausea cibi sentitur: in priore autem æger omne ei appositum edere sæpe cupit. Phrenitidis accessus quoque magis per gradus, et in decessu multo tardior est quàm in delirio tremente, quod e contrario repente accedit, et recedit in plerisque exemplis. Ad convulsiones magnam propensionem quoque in posteriore morbo post aliquam violentam animi affectionem, aut delirii magnum auctum, aut ullum magnum corporis nisum, signum notandum existimo. Delirii præsentia, ut omnes novimus, phrenitidem non necessariò implicat. Sed operæ pretium est hic notare, ut, in quibusdam peculiaribus constitutionibus a diversis causis in corpus graviter agentibus, ut ab hydrargyro, plumbo, opio, nicotianâ, &c. ut venenis ad quendam gradum operantibus, aliquando oriantur delirium ferox, et incitatio violenta, aliàs mussitans delirium, quod plena exinanitio comitatur. Hysteria quoque delirii ferocis præsentis aliud exemplum præbet, sub quo assiduæ actiones, et gestus, et incompositæ eruptiones risûs et gemitûs, et animi defectio

cum iræ impetibus vicissim pollent. Res igitur et præsentes et præteritas, quibus æger obnoxius fuit, diligentissimè investigare debemus; quod ad opinionem justam de morbi naturâ, ad quem curandum appellemur, nos plerumque ducat; et varia symptomata phrenitidis et delirii trementis simul comparata, distinctam diagnosin inter hos morbos exhibitura esse confido.

Delirium tremens in Maniam aliquando sed raro degenerat. Exemplum hujus generis mihi nuper obvenit, ubi certò symptomata primò perfecta, et solitæ causæ excitanti, diuturno abusui liquorum generosorum, generalique dissipationi distinctè ascribenda sunt. Sed post curationem solitam, et nonnullas septimanas sine integrâ allevatione, quamvis signa multa superata sunt, formam chronicam assumere, et tandem in insaniâ terminare, videbatur. In hoc ægro post quinque vel sex dies lingua sæpe arida et fusca, et totum os, ut in febre typho, sorde fœtidâ coopertum est. Pulsus quoque valde debilis et rapidus, a 140 ad 150 minuto sæpe erat. Tota

constitutio in hoc exemplo multum perturbata, et totum corpus ad ulcerationem ita proclivis, ut cutis partesque ulceratæ levi tactu vel scalpendo sæpe deciderint. Hujus ægri status uno tempore haud parum similis nonnullis typhi exemplis. Magnæ copiæ vini, quod minore copiâ postea continuatum est, præterquam opium, ut credo, ægri vitam solùm servaverunt. Valetudo generalis paulatim melior facta est, et nunc in hoc respectu perfectè restituitur, quamvis eodém tempore, cum exacerbationibus et remissionibus incitationis insaniæ omni secundo vel tertio die, insanus est. Per intervalla quietus et fere naturalis, et omni tempore benevolus est, et ab genarum venustate augente, et vultu composito, ab hoc morbo misto perfectam sanitatem, et ægrum amicis brevi restitutum videre confidenter spero.

Prognosis in delirio tremente generatim fausta esse debet; præsertim ubi idonea vigilantia et attentio ægro datur, et apta remedia tempestivè et sagaciter adhibentur. Quo magis vita erat dissoluta et intemperans, et ægri status magis ge-

neraliter debilitatus, eo diligentior vigilantia et attentio postulabuntur. Post convulsiones ægri in statum torpidum, cum pupillæ præter naturam contractione et strabismo nonnunquam sidunt: quæ symptomata infausta in hominibus, qui multum anxietatis animi tolerârunt, frequentiùs accidunt. Convulsiones periculosiores in veteribus ebriosis quàm in iis qui ab aliquâ fortuitâ commessatione perpessi sunt, præsertim si aliquis morbus organicus eodem tempore existat. Sed cum paucissimis exceptionibus, si bonum et profundum somnum conciliemus, ægri convalescunt, et ut Hippocratis verbis de Delirio generatim utar, "Ubi somnus delirium sedat, bonum."

In delirii trementis curatione, unum præcipuum remedium est opium idoneis dosibus datum. In hoc morbo multum a somno conciliato pendet: cujus obtinendi conatus in curando delirio tremente, principium considerandus est: et feliciter in hoc æquè ac symptomatum severitate et diuturnitate mitigandâ opium præstantissimum invenietur. In ægris in Lunatica Asy-

la sub hoc morbo introductis, eos liberè depletos, et alvum severè purgatam esse sæpius accidit: ita ut non modo nihil de hoc faciendum esse restat, sed multum benè parceretur. Ad ægrum tamen sub hac affectione trementem vocatus, suadeam ut primo viscera aliquo miti aperiente medicamento leniter purgata sint, ut haustu cum rheo palmato et tartrate potassæ et paululo aquæ menthæ: vel sulphate magnesiæ cum paululo mannæ, et sennæ infusione. Hoc facto, aut alvum satis solutam esse certior factus, proximum faciendum est opium liberè adhibere, præsertim si ebrietati assueto sit. Pulsum debilem, et cutem humidam et frigidulam, perspiratione viscosâ coopertam reperiemus, et hic plenam opii dosin semel demus, ut tinct. opii ʒi. in paululo aquæ menthæ. Hoc fortasse somnum paucis horis adipiscetur, sin minus opii dosin repete, et omni sextâ horâ sic perge. Si somnus adhuc differatur, dosis in aliquibus casibus ad unam omnibus tribus horis extendatur. Magnum consilium, hoc repeto, est somnum conciliare, et si hoc intra quadraginta octo horas faciamus, in

progressu symptomatum impediendo, ut plurimum feliciter cedemus, et æger citò in melius mutare incipiet, et velociter convalescet. Si tamen post hoc in opii usu rem non tam prospere geramus, quàm velimus, hujus remedii aliquam modificationem conabimur; in amplis enim et continuis dosibus ultra hunc modum moliri periculosum esse, verisimile est.

Si in somno parando bene succedimus, per septem vel octo horas plerumque durat, et æger experrectus, multum reficitur, omniaque symptomata tanquam somnium evanuisse reperimus. Quum tamen opium sic adhibitum deficiat, aperientium lenium usum quotidianum, et modicum opiatum postea commendem, quod optimæ spei sæpissime conveniet, si eodem tempore ægro mite alimentum benè suppeditandum curemus: quam ob rem lautum jusculum bovinum, cum ovis in eo contusis, commodum invenietur. Homines qui valdè agitati et debilitati sunt, tincturam Assafœtidæ cum opiato, puta ʒi. vel ʒiss. singulis dosibus conjungendo, sæpe multum

allevantur: hi quoque, sed feminæ præsertim, in idoneo cibo iis sæpe præbendo, curam diligentissimam postulant. Quantitas uno tempore non sit magna, qualitas autem levis et nutriens. Omnes ægri quoque a delirio tremente convalescentes, plus cibi quàm in plerisque aliis morbis flagitant, et veteribus ebriosis confirmatis aliquid assueti potûs, ut vini aut cerevisiæ concedendum sit.

In delirio tremente curando novum remedium a Doctore Balmanno Lunatici Asyli Glasguensis Medico, Alkali volatilis dosibus largis adhibendis, cum multo successu, in usum nuper introductum est. Feminam ebrietati assuetam, Ammoniæ spiritum ad se sobriam reddendam largiter et frequenter cepisse, et tanto successu ut, qui ebriam paulo ante vidissent, maxime essent attoniti, casu cognovit. De hoc singulari facto ratiocinans, quod Ammoniam esse antidotum alcoholi et ejus effectibus in sensorium argumentum verisimile præbere videbatur; et quoque de hujus remedii effectibus cognitis in violentis hysteriæ paroxysmis superandis,

ad hoc medicamentum exhibendum, ut experimentum in delirio hominum debilitatorum et dissolutorum, ductus est. Hoc consilio, et in privatâ exercitatione, et in Asylo, Ammoniæ Subcarbonatem in dosibus a 6 ad 10 grana variantibus, præscribere, et dosin ultra hoc, ter quaterve die sumendam in paululo aquæ menthæ vulgaris vel piperitidis, paulatim augere consuevit. Alvum quotidie leniter solutam esse curatum, opiatum quoque noctu datum, quamvis, ut credo, hoc aliquando omissum, et Ammoniæ penitus confisum est. Hujus usûs felix eventus consilio optato abundè convenit; sine opio magnas vires in morbum possidere videtur, et opio adhibito, potenti auxilio esse videtur; usumque ejus, opii tam largas doses dandi hoc modo necessitatem impedire, rectè dico; quod nonnihil in usu nactum est, ut remedium, si nimis largiter et sæpe adhibitum, periculosum est, et simplicius, et usu tutius reddit, dum interea hoc periculum discretu difficile sit. Modus operandi hujus remedii nec scio, nec in conjecturis de eo tempus teram: sed immodera-

tam nervorum agitationem, tremoresque, quibus ægri laborant, multum sedare, et propensionem ad somnum profundum inducere, post quem se multum sublevatos sentiunt, profectò asserere possum. Delirium minuitur, animi quietiores, vultus magis compositus est, et paucis diebus ægri convalescunt, et Ammonia paulatim, et minoribus dosibus tandem seponitur. In omnibus exemplis numerosis, in quibus in Asylo Glasguensi Ammoniam tentatam vidi, mihi utilissima visa est, nisi in uno exemplo, cui antea rationem habui, et cui, quantum judicare potui, in parte progressûs et symptomatum, ad Typhum proclivitas conjuncta videbatur. Hoc igitur in re tali, magni momenti exceptio, constantem successum Ammoniæ subcarbonatis, ut remedium in vero delirio tremente, afficiens, esse non potest. In multis exemplis usûs privati, Doctorem Balmanno ad hoc tempus æquè felicem successum obtinuisse intelligo. Quantum discere possum, hoc medicamentum ad hanc rem ab aliis non antea adhibitum est, et Professionem ab hoc modo utendi multam utilitatem accepturam esse, credo. Operæ pretium

memorare quoque est, Ammoniæ subcarbonatem in amplis et repetitis dosibus in summâ incitatione insaniæ, latè nuper tentatam me vidisse, et in plurimis commodum notatu dignum comitatum esse. In his quoque ad somnum propensionem, et in nonnullis abundè data, nauseam quoque producit, et postea ægri furor plurimum subigitur. Sed hanc rem nunc relinquo, in quam ab instituto paulum deflexi, et reliqua auxilia in delirio tremente curando describere progrediar.

In delirio tremente curando magni est momenti, ut ægri caput rasum, et frigus statim applicatum esse per pannum frigidâ lavatione madefactum, ut aceto et gelidâ aquâ, in caput positum, et simili modo sæpe renovatum. Hic usus ægrum sæpe plurimùm sublevabit, et somnum inducet: et donec multo melior evadat, perpetuò servetur. De sanguinis missione in hoc morbo, minimum sufficiet. In plurimis exemplis noceat; et si in nonnullis postulata sit, fortasse paucæ hirudines ad tempora applicatæ satis erunt. Sed sine dubio aliquæ exceptiones

in plethoricis et adolescentibus sint, ubi plena sanguinis missio initio utilis sit, priusquam remedia adhibita sunt. Hic autem pulsûs status dux sit. Si plenus et validus, et vibrans sentiatur, et cutis calor sit, sanguinis missio est admittenda: e contrario iis, qui medicinam faciunt, commendem, ut de confirmatis et veteribus ebriosis, illisque in quibus debilitatio præter solitum magna sit, ne sanguinem mittant, præsertim caveant. Per totum morbi cursum alvus leniter soluta sit, a quo multo magis pendemus quàm sanguinis missione. Aliquos medicos emetica cum magnâ utilitate adhibuisse intelligo; à priore autem de ejus accuratione dubitem, sed officiosè, nihil proprio usu de hac re sciens.

Aliud curâ dignum est, ægri cubiculum quàm maximè tranquillum et subobscurum, et aëra quem spirat, bonum, recentem, salubrem, et frigidulum, servare. In hieme tamen, cubiculi temperiem ad naturalem et jucundum modum, puta a 56 ad 60 Thermometri Fahrenheitiani retinendum esse, cavendum est.

Ubi opium aliaque remedia in somno conciliando defecerunt, usus balnei frigidi, pluvialis, tepidi, aut calidi, in diversis ægris singula utilissima sunt. In robustis et plethoricis, et ubi cutis calor major solito est, balneum frigidum subitâ immersione est utilissimum, præsertim quum morbus formam chronicam assumere proclivis videatur: et balneum pluviale in his exemplis, consilio nervorum trepidationes minuendi rectè utendum sit. In delicatioribus tamen, balnei frigidi impetus nimis magnus ad ferendum est: usum balnei tepidi iis commendem circiter gradum 70: vel in illis apprimè delicatis et languidis usum balnei calidi circiter gradum 90, ut probabiliter aptissimi ad nervorum irritationem minuendam, et somnum parandum.

Ubi nullus bonus effectus balnei usum sequitur, et somnus adhuc deficit, exercitatione passivâ sub dio multum commodi nonnunquam partum est. Æger aptè sustentatus et comitatus, curru aperto positus, et rapidè actus sit. Propensionem ad somnum, effectum in nobis omni-

bus sub dio curru vectis novimus, et in hoc morbo, ut in multis aliis apprimè utile inveniatur. Aliquando æger in cymbâ tutò ponatur, et per longum tempus remis propellatur, et ita somnus inductus est, quum alii modi defecerunt, et vita humana probabiliter servata est.

Has præcipuas curandi methodos tutò commendem ; et iis attentione diligenti, maximam partem ægrorum sub hoc flebili morbo laborantium ad salutem restitutum iri, me rectè dicere sentio. In progrediendo ad hanc " Æger," ut ait Doctor Sutton, "morbi symptomata importuna perdere incipit, noctes amœnas transit, tremores evanescunt, animi facultates ei restituuntur, pulsus a celere tranquillus et placidus fit, appetitus redit, et paucis diebus se talem sentire incipit, quali mors appropinquasse non videatur." Quàm primum fieri potest, æger purum ruris aëra spiret, exercitationem quotidianam, et bonum nutrientem cibum, ad corporis tonum generalem augendum, capiat.

Ad unum aliud attentionem dirigere volo; nimirum, abnormem vis nervosæ distributionem, ut in statu instabili musculosi systematis illustratur. Uno tempore magnâ virium prostratione laborat, aliàs vi Herculeâ, sub impulsu repentino, ad consilium assequendum impellitur: aut ad resistendum, cædis formidine stimulatus est. His temporibus aliqui ægri fictorum incremento horrorum ita terroribus victi, ut mortem terribiliorem, ut putant, effugere, submersione, suffocatione aut similibus, mortem sibi consciscere statuant, et in hoc statu summâ curâ vigilandum sit, donec symptomata evanescant. Ægrum coercere a multis malum putatur, et objectiones ulli coercitionis speciei, qualis vestimenti dicti Anglicè *the straight waistcoat*, propositæ sunt: quia verisimile putatur, hanc sub ægri peculiaribus sensibus timores, et repugnantiam, et desiderium a malis consequentibus se liberandi aucturam esse; et sic quoque exinanitionis statum, et ad convulsiones propensionem, et igitur casum mortis aucturam esse. Hoc quodammodo verum sit, et ubi complures diligentes comi-

tes ad ægrum vigilandum parari possunt, personalem coercitionem evitare præstabit: sed hoc obtineri non posse, sæpe accidit, et tunc ægrum per pessimum morbi stadium, sine vestimenti, aut ad lectum securè aliquo modo ligati, coercitione, relinquere, valdè intutum esset. In multis exemplis quidem, quibus tale vestimentum adhibetur, ullas malas consequentias inde, aut vitam in periculo positam nunquam vidi. Coercitionem igitur exhibere tutius mihi videtur, sed sub hac conditione, ut quàm primum in placidiore statu ægri removeantur, vel etiam antea, peritis adjutoribus acceptis, quorum fidei æger tutò committatur: sed quidem non sine hoc, ut exemplum fatale semel novi. Hic vir quem magni feci, et casu hoc morbo vexatum, uxor et nutrix comitatæ sunt, e lecto repente subsiliens, his duabus prostratis, et fenestrâ apertâ, exsiluit, et in loco interiit. Hoc exemplum, de ægris coercitione liberis, et talibus casibus sub impulsu repentino obnoxiis relictis, contra quos insolita diligentia est exercenda, me multum affecisse confiteor.

Hanc brevem et forsitan imperfectam dissertationem de hoc morbo formidabili, plerumque intemperantiæ filio, nunc finivi. Multum tamen quod hic scripsi, a meâ experientiâ et occasionibus derivatur, ut curatione eorum qui uni alterive speciei mentis aberrationis infeliciter subjiciuntur, occupatus sum; multumque ex aliorum experientiâ deducitur. Fortasse major pars eorum quæ scripsi plerisque medicis bene cognita est. Compendium tamen tam accuratum statûs præsentis scientiæ et usûs de hoc morbo, quàm humilibus facultatibus subministrare potui, præbere cupivi. Novam quoque, gravem, et practicam applicationem medicamenti veteris et stabiliti, ut alius remedii in hac generis nervosi affectione, breviter notare ausus sum. Quamvis in utili disciplinâ communicandâ, me viâ circumscriptâ successisse metuo, me tamen rigidis criticorum observationibus obnoxium non reddidisse spero, in hac meâ dissertatione inaugurali de Delirio Tremente, vel ut appellare volo, Delirio Ebriosorum.

FINIS.